



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

5. Artificium Architectonicum collocandi Fundamentum, adactis in imo
palis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

us, ejus Caro est candidissima Lanæ Vellus, cujus meritis omnia ædificandi impedimenta auferuntur. Videtis-ne quàm bellè convenient Architecturæ sacræ profanæque observationes. Ex quibus deduximus, accommodatio sensu, Timorem Domini, & ejusdem misericordiæ fiduciam, adjunctis Agni immaculati exuviis, ac meritis, esse *Carbones & Lana Vellera* in palustro animæ solo jacienda & calcanda, ut Domus Sapientiæ, quæ Divinum est virtutum ædificium, possit exurgere.

ARTICULUS V.

ARTIFICIUM ARCHITECTONICUM

Collocandi fundamentum, adactis in imo Palis.

MAGISTER Architecturæ vulgaris Vitruvius libro tertio cap. 3. quod est de foundationibus, tam in locis solidis, quàm congestitiis, postquam docuit, foundationes in solido fieri debere, si queat solidum inveniri, addit, si hoc non reperiatur, sed locus sit congestitius ad imum, aut paluster, debere palis alneis, aut oleagineis, aut robusteis ustularis configi, sublicæque machinis adigi, & tunc structuris solidissimis fundamenta implenda esse. Alii brevius id exprimi posse existimant, & dicunt, terram prius fistucationibus, nempe, palis è robore, alno, olea ustularis, & fistuca machina adactis solidandam, antequam principale fundamentum jaciatur. Idem præceptum inculcat lib. v. cap. 12. Atque secundum hanc regulam, Venetiis, cum ea vrbs Adriatici maris stagnis & paludibus inædificata sit, fundamenta ædium constituuntur. Quod refricat mihi memoriam

B b 5 civi-

civitatis nobilissimæ, & emporii in tota Europa celeberrimi Amstelodami, (quod mihi natale solum Anno 1578.) Hæc urbs viris pariter, & opibus præpotens, in intimi sinus Batavici faucibus posita, præter naturæ munimentum, operibus etiam pro loci genio haud invalida, quàm paludoso minimeque firmo solo inhæreat, aut, ut quidam asserit, (a) potius in undis natet, fundamenta non nisi incredibili impendio poni patitur, ad actis per fistucas trabibus arboribusque ingentibus, aut substrata materia, per sublicas connexa. Quo fit, ut putentur fundamentorum impensæ subinde reliquam structuram æquare vel excedere,

(a) Hadria. Junius in Batavia.

ARTICULUS VI.

TIMOR DOMINI

Comparatur cum Palis oleagineis, alneis, robusteis.

ANIMA hominis infidelis, aut peccatoris, ut jam ante præscripsi, vndis criminū est obruta, vel iis innata, verè palustris, instar terræ, aquis immersæ, nihil habens in imo solidi, cùm non nisi vanitate innitatur, & rebus nihili, immò, sit ipsa Vanitas, & umbra mendacioque instabilior. In illo tamen, ad id destinato solo, Ædificium spirituale exstruendum est, cujus *Fundamentum* sit *Fides* ære perennius. Quid remedii? ab Architectura id petendum. Hæc docet, ut audivistis, terram istiusmodi fistucationibus esse solidandam, adigendos creberrimè Palos ustulatos, ex olea, alno, robore, tūc verò iis superædificandum. In Architectura-sacra, quam hic profite-

mur,